



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illis qui apostatant, & ad idololatriam se conuertunt. cxxxiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

*iano no-
biliff. viro
directa.
cap. 11.* ne quod, apud alios pietatis tenet speciem, hoc magis no-
bis in culpa sit. Nam diffidentia quodammodo genuit
contra hoc, quod quisque prædicator quærit iustitiã amãs,
dicente Apostolo: Nolumus autem vos ignorare fratres de
dormientibus vt non contristemini, sicut & ceteri qui spẽ
non habent. Hac itaque frater charissime ratione prospe-
cta studendum nobis est, vt sicut diximus, non de mortuis
affligamur, sed affectum viuentibus impendamus, quibus
& pietas ad vtilitatem, & sit ad fructum dilectio. Desine
igitur charissime mœrorem, & assume spiritalem fructum
lætitiã, ad vtilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ, seruorumque
eius profectum, & vitæ huius quæcunque sunt spacia, eter-
nis diuinisque officiis illustrare contende, vt qui insignem
te præstitit, reddat sibi per secula clariorem.

De illis qui sibiipsis voluntarie mortem inferunt.

Caput CXXX.

*Ex cõcil.
Braggar.
cap. 10.* **P**lacuit vt hi qui sibiipsis voluntariè, aut per ferrum, aut
per venenum, aut per præcipitium, aut per suspendiũ,
vel quolibet modo inferunt mortem: nulla pro illis in obla-
tione commemoratio fiat, neque cum Psalmis ad sepul-
turam eorum cadauera deducantur. Multi enim sibi hoc
per ignorantiam vsurparunt. Similiter & he his placuit
fieri, qui pro suis sceleribus puniuntur.

De eadem re. Cap. CXXXI.

*Ex cõcil.
Cabillon.
cap. 5.* **Q**uicumque se propria voluntate, aut in aquam iacta-
uerit, aut collum ligauerit, aut de arbore præcipita-
uerit, aut ferro percusserit, aut cuilibet voluntariè se moti
tradiderit, istius oblatio non recipiatur.

*De illis qui cum infidelibus cibum sumere præsum-
pserint. Cap. CXXXII.*

*Ex cõcil.
Elibertã.* **S**I verò quis clericus vel fidelis cum Iudæis cibum sum-
pserit, placuit eum à communione abstineri, vt de-
beat emendari.

*De illis qui apostatant, & ad idolatriam se con-
uertunt. Cap. CXXXIII.*

Ex codẽ. **A**dictum est etiam quosdam Christianos ad apostata-
m, quod dici nefas est, transeuntes, & idolorum cul-
tu, ac sacrificiorum contaminatione profanatos, quos à
Christi corpore & sanguine, quo dudum redempti fuerant

renascendo, iubemus abscindi: & si resipiscetes fortè aliquādo fuerint ad lamenta conuersi, his quandiu viuunt agenda pœnitentia est: & in vltimo fine suo reconciliationis gratia tribuenda, dicente domino: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.

De eadem re. Cap. CXXXIIII.

DE his qui apostatant, & raro se ad Ecclesiam repræsentant, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, & postea in infirmitate arrepti petunt communionem, placuit non dandam eis communionem, nisi reuelauerint eorum rectam fidem, & egerint fructus dignos pœnitentiæ.

Ex eodē.

De illis qui Christiana mancipia captiuauerint.

Caput LXXXV.

SI quisunque hominem quolibet ingenio captiuauerit, aut trasmiserit, tres annos pœniteat.

Ex pœnitentiā

De illis qui aream proximi sui incenderint.

Caput LXXXVI.

Theodo.

SI quis domum vel aream cuiuscunque voluntariè igne cremauerit, sublata vel incensa omnia restituat, & tribus annis pœnitentiam agat.

Ex pœnitentiā

De illis qui libidinosè obtrectauerint puellam aut mulierem.

Cap. CXXXVII.

Romano.

SI quis obtrectauerit puellæ aut mulieris pectus, vel turpitudinem earum: Si clericus est, quinque dies: si laicus, tres dies pœniteat. Monachus vel sacerdos, à ministerio diuino suspensi, si aliquid tale fecerint, viginti dies pœniteant. Scriptum est enim: Neque tetigeritis neque obtrectaueritis turpitudinem fœminarum.

Ex eodē.

De illis qui in balneo cum mulieribus se lauerint.

Caput CXXXVIII.

SI quis in balneo cum mulieribus se lauare præsumperit, tres dies pœniteat, & vltius non præsumat.

Ex pœnitentiā

De administratione xenodochia, & decimæ.

Caput CXXXIX.

Theodo.

SI quis xenodochias pauperum administrat, vel decimas populi susceperit, & si quis exinde vel suis secularibus lucris factandum aliquid subtraxerit, quasi rerum alienarum inuasor: reus damnum restituat, & sub canonico iudicio reformetur, & agat pœnitentiā tribus annis. Scriptum

Ex eodē.